

deinde catalepton et Priapea et epigrammata et diras, item
 55 Cirim Culicem, cum esset annorum XVI. cuius materia talis
 est: pastor fatigatus aestu cum sub arbore [pro calore] dor-
 misset et serpens ad eum proreperet e palude, culex pro-
 volavit atque inter duo tempora aculeum fixit pastori. at
 ille continuo culicem contrivit et serpentem interemit ac se-
 60 pulcrum culici statuit et distichon fecit:

'parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
 funeris officium vitae pro numere reddit.'

scripsitque bucolica rogatu consulum quorundam, per quos
 in sedes suas et in agros rediit. exorto enim civili bello inter
 65 Augustum et Cassium, Brutum et Antonium, cuius copias
 contra Augustum Cremonenses susceperunt, factum est, ut
 victor Augustus in eorum agros veteranos deduci iuberet
 milites et non sufficiente agro Cremonensium Mantuani quo-
 que, in quibus erat poeta Virgilius, maximam partem finium